

descriptio, ut, aperte intellecta generali praescriptione, paucitas generum in partitione servari possit. Nam qui ita partitur: *Ostendam, propter cupiditatem et audaciam et avaritiam adversariorum, omnia incommoda ad rem publicam pervenisse*; is non intellexit, in partitione, exposito genere, partem se generis admiscuisse. Nam genus est omnium nimirum libidinum cupiditas; ejus autem generis sine dubio pars est avaritia.

Hoc igitur vitandum est, ne, quum genus posueris, ejus speciem aliquam, sicut diversam ac dissimilem partem, ponas in eadem partitione. Quodsi quod in genus plures incident partes, id quum in prima partitione causae erit simpliciter expositum, distribuetur eo tempore commodissime, quum ad ipsum ventum erit explicandum in causae dictione post partitionem. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura, quam satis est, demonstraturos nos dicamus, hoc modo: *Ostendam, adversarios, quod arguimus, et potuisse facere, et voluisse, et fecisse*; nam fecisse ostendere satis est: aut, quum in causa partitio nulla sit, et quum quiddam simplex agatur, tamen utamur distributione: id quod perraro potest accidere. — Ac sunt alia quoque praecepta partitionum, quae ad hunc usum oratorium non tantopere pertinent, sed versantur in philosophia, de qua haec ipsa transtulimus, quae convenire videbantur, quorum nihil in ceteris artibus inveniebamus. Atque his de partitione praeceptis, in omni dictione meminisse oportebit, ut et prima quaeque pars, ut exposita est in partitione, sic ordine transigatur, et omnibus explicatis, peroratum sit; hoc modo, ut ne quid posterius praeter conclusionem inferatur. Partitur apud Terentium breviter et commode senex in Andria, quae cognoscere libertum velit:

Eo pacto, et gnati vitam, et consilium meum  
Cognosces, et quid facere in hac re te velim: